DISSERTATIO INAVGVRALIS
SISTENS
HYDROPEM ALIIS MORBIS SVCCEDENTEM,

QVAM
DIVINI NVMINIS GRATIA
ADSPIRANTE
CONSENSV ET INDVLTV
GRATIOSISSIMÆ
FACVLTATIS MEDICÆ
IN
INCLYTA ARGENTORATENSIVM VNIVERSITATE
PRO
SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS IMPETRANDIS
SOLENNI ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBJICIET

IOHANNES GOERITZ,
Ratisbonensis.

ad diem XXII. Mens. Novembr. M DCC XXXII.
H. L. Q. C.



ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS HEINRICI HEITZII.

AVGVSTÆ ac LIBERÆ

SACRI ROMANI IMPERII REIPVBLICÆ

RATISBONENSIS

INCLYTO ORDINI SENATORIO,

VIRIS

ILLVSTRI DIGNITATE ET AVCTORITATE
MAGNIFICIS, PERSTRENVIS, PRÆNOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS,
GRAVISSIMIS,

DN. DN. CAMERARIO CONSVLARIBVS

ET

SENATORIBVS

RELIQVIS,

PATRIAE PATRIBVS

OPTIME MERITIS,

DOMINIS MAECENATIBV

AC

PATRONIS SVMMIS

SVBMISSO OBSEQVIO

ET

PERPETVO PIETATIS CVLTV DEVENERANDIS,

THESES HASCE INAVGVRALES

IN GRATISSIMI ET OBSERVANTISSIMI ANIMI TESSERAM EO, QVO PAR EST, MODO

D. D. D.

ILLVSTRIVM VESTRORVM NOMINVM

Devotissimus Cultor

JOHANNES GOERITZ

Ratisbonensis.



PROOEMIUM.



Uantum in Pathologicis uſum habeat doctrina de metaſchematiſmo, aut proteiformi morbi unius in alium mutatione, ſeu, qua ratione affectus non modo ſe invicem concomitantur, ſed & mutuo ſeſe conſequuntur, experientia quotidiana teſtatur. Id quod quam maxime è cauſæ morbificæ ab una parte in aliam, nempe ab internis ad externas, à nobilioribus ad ignobiliores & viciſſim ab his ad illas patet metaſtaſi. Differt vero hæc inter ſe ratione materiæ, qua vel ſanguis, vel ſerum aut lympha, vel alius humor ad certa loca propellitur; ſive loci, ſi quando pro ætatum differentia nunc ad caput, nunc ad pectus, nunc ad abdomen decubitus fit; ſive temporis, dum modo in morbi initio, modo circa dies criticos & ſalutari naturæ conamine, modo vero morbo jam ſuperato contingit; ſive motus, cujus

intuitu prompte, repentino ſucceſſu & ſenſibiliter, ſæpius tacite magis, multo cum tempore & ſegnius fieri aſſolet; ſive modi agendi, quo perfecta eſt & plena, aut imperfecta, completa aut incompleta, activa vel paſſiva. Quæ metaſtaſes in febribus exanthematicis & rhevmatico-arthriticis affectibus quam maxime obſervantur.


Hunc autem metaſchematiſmum, quo morbos ex aliis pullulare toto die videmus, vel principii vitalis actioni & intentioni; vel morbi naturæ & eſſentiæ; vel ſubjecti conditioni & temperamento; vel malo ægrotantis regimini; vel denique perverſæ medicationi adſcribendum eſſe cenſeo. Cujus conſideratio, cum non exiguæ in Praxi Clinica utilitatis ſit, de hoc morborum ſucceſſu & transmutatione non tam generatim, quam potius de aliquorum ſpeciatim in hydropem, Speciminis Inauguralis loco, pauca quædam commentari, ac Eruditorum Cenſuræ ſubjicere mecum conſtitui. In quo ſchediaſmate, ſi B. L. plurima deprehenderit, quæ minus recte poſita Ipſi videntur, in memoriam ſibi revocet enixe rogito, tyronem experientia & ſufficienti obſervatione deſtitui. Faxit Supremum Numen, ut omnia in ſui Nominis gloriam, ægrotorumque ſalutem vergant.

B. C. D.



B. C. D.

§. I.



ANtequam hydropis definitionem aggrediar, pauca quædam præmonenda mihi veniunt, nempe quod in hujus thematis elaboratione de illa hydropis ſpecie, quæ Aſcites appellatur, agere mecum conſtituerim. Cum vero inſtituti ratio paucula quædam de hydrope in genere proferre poſtulet, ea paucis verbis Lectoris judicio exponere conatus ſum. Definio itaque hydropem in genere, quod ſit p. n. ſeri collectio & ſtagnatio, vel in toto corporis habitu, vel in certa tantum cavitate, vel in una ſolum, aut pluribus ſimul partibus facta, ex qua ſtagnatione notabilis tumor pallidus, frigidus &, prout in aliqua parte eſt, preſſus ſui veſtigia relinquens oritur.

§. II.

Ex qua in medium prolata definitione quilibet facile colligere poteſt, plurimas hydropis enumerari poſſe ſpecies. Nonnunquam enim partium externarum pori & interſtitia fibrillarum, ſeu potius ſubſtantia celluloſa, ſub

cute latens sero, quod tumorem vel universalem, vel particularem in pedibus aut scroto efficit, explentur, quod malum & priscis Medicis anasarcæ, leucophlegmatiæ, Recentioribus aquæ intercutis nomine insignire placuit; quandoque etiam lympha in cavitatem majorem extravasata & elasticitate majore prædita in flatus resolvitur & sic majorem abdominis cavo distensionem infert, ita ut, si digito tangatur, sonum edat. Quod malum tympanitem nominatum legimus. Porro considerandus mihi venit Ascites, in quo aquam, qua abdomen intumescit, intra peritonæum ejusque lamellam cellulosam coacervatam observamus. Minime vero excludendæ sunt reliquæ partes & cavitates; omnes enim, quæ glandulis & vasis lymphaticis gaudent, laborare etiam possunt hydrope particulari. Sic datur hydrops thoracis, mesenterii, ovarii muliebris, tubæ Fallopianæ, uteri; quandoque etiam aquæ in peritonæi vulgo stabilita duplicatura hærentes cernuntur; quandoque inter peritonæum & musculos abdominis simul aqua coacervatur; quandoque etiam sacco peculiari inclusas aquas invenimus, unde nomen hydropis saccati venit. Nec scroti tumor vel hydrocele prætereundus est, nec hydrops lacteus omittendus, nec etiam hydrops vesicularis & glandularis vilipendendus est, & quæ sunt reliqua, quibus omnibus recensendis non immorabor. Si quis vero plura de his legere desideret, evolvat STALP. VAN DER WIEL. *Cent.* 2. *Obs.* 28. PISON. *de morb à seros. colluv. oriund. Sect.* 4. *c.* 3. MART. LISTER & SYDENH. *de hydrop.* PELARG. *Colleg. Pract.* SENNERT. *Prax. L.* 3. *P.* 6. *S.* 2. *C.* 3. HIST. ACAD REG. SCIENT. 1701. 1702. 1703. RUYSCH. *Observ.* 27. & 46. BOGDAN. *Observ.* 10. FRANCK DE FRANCKEN. *de diaped. restit.* Bresl. Natur Gesch. *Tent.* 19. *p.* 187. *seqq. Tent.* 23. *p.* 77.

§. III.

Ego autem me ad illam hydropis speciem, nempe Ascitem verto, utpote in qua tractanda per totam dissertatio-

tationem potissimum occupatus ero. Quæ vox Græcis suos debet natales & ab ἀπὸ τῦ ἀσκῦ, Latinis utris nomine venientis derivatur, quia in cavitate abdominis, velut in utre aqua continetur, quæ intra peritonæum coacervata abdomen intumescere facit. Est hic affectus Ascites inter reliqua hydropis genera periculosissimus, & si multum invaluit, curatu difficillimus pronuntiatur. Materia vero hunc hydropem constituens non ex arteriis aut venis sanguiferis, quin potius lymphaticis, maxime è glandulis & vasis lymphaticis propriè dictis effunditur. Interim vero est tumor p. n. ab aquosi, serosi, imo & lymphatici humoris collectione ortus & cum partium sanguinem & lympham depurantium & elaborantium vitio conjunctus.

§. IV.

Et hæc pauca illa sunt, quæ de hydrope in genere afferre animus fuit. Par itaque est, ut ipsum thema, quod in hac dissertatione pertractare consultum duximus, ulteriori disquisitioni subjiciamus. Priusquam autem id ipsum suscipimus, generaliora quædam, ex quibus rationem thematis quivis perspicere valet, in apricum deducamus. Sole enim meridiano clarius est, hydropem Ascitem multis aliis supervenire morbis, imprimis iis, qui vel chronici sunt, vel ex se & sua natura ad obstructiones proni eo re ipsa tendunt, v g Febris quartana, quæ si non rite tractatur, ita quidem, ut materia viscida, in visceribus hypochondriacis hærens, non evacuetur vid. JUNCKER. *in Consp. Med. Theor. Pract. Tab.* 80. in scirrhositates atque obstructiones hepatis, lienis glandularumque mesaraicarum &c. transit, ex quibus, uti alibi dicetur, hydropem provenire conspicimus. Sic experientia confirmat, febrem quartanam in tertianam haud raro degenerare, & vice versa; Nec minus intermittentes febres continuarum aut lentarum typum recepisse legimus in ACT. BEROL. *Dec* 2. *Vol.* 7. Id quod etiam in *E. N. C. Vol.* 1. *Obs.* 215. pluribus videre est. Si ad gravio-

viores transgredimur affectus, certo certius est, quod illorum mutationes sævissima, quin imo lethalia morborum genera post se relinquere interdum soleant. Exemplo nobis esse possunt hæmorrhoides suppressæ, quæ nonnunquam apoplexiam & paralysin induxere, quod confirmant *Act. Berol. Dec. 2. Vol. 7. &* Breßl. Natur Gesch. *Tent. 19. p. 137.*

§. V.

Ut tandem rem ipsam aggrediar, notissimum cuique, imo experientia optima rerum magistra stabilitum autumo, primo quod hæmorrhagiæ enormes aut diutius durantes, vel sæpius recurrentes hydropem inferre valeant. Et quidem ex hac ratione, quia ab insigni hac liquoris vitalis jactura vasa nimium deplentur & aliquo modo collapsa debitum tonum amittunt, unde fit, ut imminuta eorum systole humores rite propellere nequeant Quo facto sanguis spissescit & lympha lentorem contrahit, quæ postea ad vasa lymphatica delata eadem distendit, obstruit & quandoque rumpit, vel saltem tenuior ejus portio per parietum poros transsudat, hincque modo quodam extraordinario in cavitate abdominis sensim coacervatur. Negandum quidem non est, quandoque etiam ab iisdem hydropem curatum fuisse, teste FABRICIO HILD. *Cent.* 1. *Obs.* 50. verum unica hæc, & forsan aliquæ insuper historiæ curati hydropis nobis non persuadent, ut ipsis statim subscribamus, quippe qui multo magis cum *Principe Medicorum* HIPPOCRATE illas pro lethalibus atque funestissimis in hoc affectu plerumque habemus, qui *Prædict. L.* II. §. II. ita disserit: *Cui multum sanguinis sursum & deorsum eruperit & febris insuper accesserit, eum multa aqua repletum iri timor est.*

§. VI.

Hydrops Ascites porro supervenit vulneribus viscerum, præprimis sanguine abundantium & simul vasorum, v. g. hepatis & lienis. Non solum enim enormis hæmorrhagia accidit, imprimis si vasa sanguifera majora læsa sunt, sed magna etiam lymphæ profusio fit, dum non raro vasa lympha-

phatica, quibus hæc viſcera præ aliis gaudent, diſſecantur. Hiſce vaſculis lymphaticis læſis, lympha cum impetu abdominis cavitati infunditur, ibique tumorem excitat. Quod ſi autem vulnera etiam ſine læſione vaſorum, ſive ſanguiferorum, ſive lymphaticorum ipſis infliguntur, hydrops Aſcites inde evenire poteſt, quia dicta viſcera inepta ad munus ſuum obeundum redduntur, dum nimirum hepar bilem neque præparare, neque cæteris corporis partibus communicare valet; non minus etiam lien in actione ſua impeditur. In quorum claſſem vulnera vaſorum extremitatum referenda ſunt, quæ tantas imo exceſſivas hæmorrhagias producunt, quantas ipſa viſcerum vulnera procreant. Ex quibus omnibus non tantum ſpirituum diminutionem, ſed & lymphæ lentorem & ſtagnationem, quæ vaſa lymphatica corrodit, vel plane diſrumpit, ut lympha vias petat extraordinarias & multa incommoda, imo ipſum hydropem corpori inferat humano, provenire conſtat.

§. VII.

Non minus hydrops quandoque hæmoptyſin ſequitur, imprimis quando cum tuſſi vehementiore ſanguis prorumpit, vi cujus non ſolum vaſcula ſanguifera teneriora, ſed & lymphatica pulmonum facile rumpuntur, quo facto larga ſanguinis & ſeri profuſio contingit, ex qua tumorem hydropicum nonnunquam provenire videmus. Notandum vero eſt, hæmoptyſin ſæpius phthiſin, quam hydropem poſt ſe relinquere. Sanguis enim, qui in hoc affectu prorumpit, non omnis pulmones excedit, ſed notabilis ejus portio in eorum veſiculis ſubſiſtit, in quibus ſi diutius commoratur, ſtagnat, corrumpitur & tandem acredine ſua pulmones corrodit exulcerationemque parit.

§. VIII.

Inter reliquas hæmorrhagiarum ſpecies, ex quibus hydropem Aſcitem provenire obſervatum fuit, non poſtre-

mum

mum locum obtinet enormis hæmorrhoidum fluxus, quippe qui non corpus ſolum nectare privat vivifico, ſed & calorem nativum aufert, hinc vires enervantur, concoctio vitiatur, appetitus proſternitur, ſyncope oritur, fœdus totius corporis habitus accidit, color cutis cum virore albicat, caro molleſcit, crura vacillant, oculi tument, denique ſanguinis circulatio multum impeditur, ac tandem hydrops ſupervenit, & quæ ſunt alia, quibus immodicus hic fluxus corpus noſtrum infeſtare ſolet, quæ pluribus legi poſſunt in Bresl. Natur Gesch *Tent.* 30. *p.* 385. Quemadmodum ergo à fluxu hæmorrhoidum enormi hydrops quandoque oritur, ita quoque eundem ab earum ſuppreſſione originem ducere non negandum eſſe cenſeo. Hæmorrhoidibus enim internis non fluentibus hydrops naſcitur, materia, quæ qualitate & copia peccat, ad colon inteſtinum reſtagnante, quo inflammato dolor ac ſitis magna ingruit. Hinc aqua liberalius hauſta & prima concoctione læſa, quæ in ſecunda non emendatur, affectus hic natales ducit, vid. FOREST *L.* 19. *Obſ.* 36. Id quod etiam GALENUS confirmat dicens: *Non tantum hydropem, ſed & alios morbos retentas hæmorrhoides excitare poſſe.*

§. IX.

Nec minorem locum in hæmorrhagiarum numero obtinet vomitus cruentus, qui interdum ad hydropem ſymbolum ſuum confert, ſi nimirum ſtagnatio ſanguinis in liene præceſſit, quam ſtaſis, hancque inflammatio excipit, tandemque vomitus ſanguinis ſupervenit. In tali ergo vomitu nigro eventus certiſſime eſt funeſtus, dum, ſi initium acutum fuerit, lentiore progreſſu hydrops ſequitur. Eſt vero hujus non contemnendi affectus cauſa materialis remota ſpiſſitudo ſanguinis circa venam portæ, ſive ab impeditis menſibus, ſive hæmorrhoidibus, ſive aliunde originem illa ſumſerit. Cauſa propior eſt, ſanguis hypochondriacus venæ portæ ſpeciali congeſtione è ramo meſenterico in ramum

ſple-

ſplenicum reſtrictus. Vel ut STALPART VAN DER WIEL *in Obſ. Rar. Med. Anat. Chir. Cent. poſt. P. I. Obſ.* 16. obſervavit, *cauſa hujus mali nulla alia poteſt eſſe, quam magnus aliquis ſanguinis orgaſmus atque inſuper obſtructiones quædam in vaſis latentes gaſtricis à vena cœliaca procedentibus & ad lienem excurrentibus.* Nec minus huic inordinatæ ſanguinis evacuationi mictus cruentus adjungendus eſt, qui nonnunquam hydropem attuliſſe fertur, præprimis ſi jam adſuetus repente & incongrue plane cohibetur, graviſſima ſymptomata inducit: Sequuntur enim varii adfectus ſpaſtici, tabidi, tumores œdematoſi, hydropici, febres acutæ inflammatoriæ viſcerum. Quod ſi enim humores vel per ſe, vel mala arte cohibiti in renibus ſtagnant, ſecretionem ſeri in iisdem labefactari neceſſe eſt, unde hic latex in ſanguine accumulatur & vel per διαπήδησιν exſudat, vel per ἀναστόμωσιν exit, vel etiam, quod rarius accidit per διαίρεσιν in abdominis cavitatem effunditur. Quod ſi vero mictus hic diu multumque continuat, eadem ratio, quam ſupra de hæmorrhagiis nimiis allegavimus, hic quoque militat.

§. X.

Convertimus nos ſecundo ad illas hæmorrhagias, quæ ſexui muliebri familiares ſunt, inter quas primo nobis ſeſe offert nimius menſium fluxus, qui tanta illi mala ſtruere ſolet, ut inde in graviſſima morborum genera præcipitetur. Cuivis enim facile erit judicatu, tam immodicam ſanguinis excretionem non ſolum corpus cachecticum, ſed & ultimato hydropicum reddere, inſigni virium debilitate & gravitate crurum coxarumque eam concomitante. Ut autem, quod præcipuum eſt, immodicæ hujus excretionis cauſæ inveſtigentur, conſideranda venit ſanguinis erumpentis copia & delationis modus. Ex his namque cognoſcitur, utrum à vaſorum ruptura, an à reſeratione, an vero eroſione iſta fiat, amplioribus quippe vaſis ruptis, aut apertis magna ſanguinis copia confertim profluit, unde non ſolum

partes fermentativæ exhauriuntur, sed & notabilis spirituum jactura fit, quo facto humores vel plane subsistunt, vel saltem impedite moventur. Quod si hoc contigerit, vascula minima & lymphatica & sanguifera toti humorum massæ capiendæ imparia evadunt, adeoque ab ejus mole præcipue sicubi illi stagnant, perrumpuntur atque hydropem generant. Ubi malum hoc diuturnum est & fæminas juniores invadit, teste WALDSCHMIDIO & FORESTO, si non brevi moriuntur, viam vel ad atrophiam, vel ad ipsum hydropem sternit, semelque hoc morbo graviter laborantes plerumque valetudinariæ manent, quia corpus multum debilitatur & ad cæteras actiones vitales segnius redditur. Ne quid dicam de nimio lochiorum fluxu, sive abortivus fuerit, sive partui legitime excluso supervenerit, utpote qui cum prodigo mensium fluxu in multis convenit & eodem prorsus modo ad affectum, de quo sermo nobis est, disponit, quare ne nimis prolixi simus, de eo plura verba facere hic supersedemus.

§. XI.

Jam ad istam sanguinis evacuationem, quæ arte fit, devenimus, quæque si nimium adhibetur sæpiusque repetitur, nobis facile noxas struere potest periculosissimas & hydropem pariter inducere; quamvis non negandum sit, V. Sem alias remedium generosum merito appellari. Certo enim certius est & experientia firmatum, per V. S. spiritus & vires exhauriri, actionesque ad vitam maxime necessarias labefactari, obstructiones excitari & tandem hydropem inferri, vid. *E. N. C.* II. 2. *Obs.* 169. Ex qua allata ratione patet, quantum mali V. S. nimiæ & sæpius repetitæ parere soleant, præsertim si intempestive instituuntur. Hinc facile concludendum, hydropem, nisi ab acrimonia & spasmodica vasorum constrictione sit, V. S. nunquam admittere, ea de causa, quoniam non modo ad virium integritatem respiciendum est, quas præsens affectus maxime postulat, sed

etiam

etiam morbi durationem; in inveterato enim plus damni, quam commodi afferet. Quare etiam *Hist. Morb. Uratisl. Collectores Anno 1699.* hæc habent. *Nostris in locis ubi hydrops fere semper est soboles depauperati sanguinis, diminuti caloris, corruptelæ viscerum &c. cum summo ægrotantium periculo celebratur ac apud illas fœminas, quæ ex suppressione mensium, aut viros, qui impedito fluxu hæmorrhoidum in ascitem labuntur, nonnisi inter initia cum successu vena pertunditur.* Quibuscum etiam RIEDLINUM *Lin. Med. A. II. Mens. Octob. Obs.* 2. consentientem deprehendimus, qui expressis verbis asserit: *V. S. intermissionem ab hydrope præservare.* Equidem prostant exempla, quæ hydropem V. S. quandoque curatum nobis sistunt, uti ipse ZACUT. LUS. *Med. Princ. Hist. Lib.* II. *Hist.* 118. & HILD. *Cent.* VI. *Obs.* 41. & 42. quædam nobis scripta reliquerunt. Sed si horum Doctissimorum Virorum judicia penitius consideramus inde colligendum est, in nullis aliis subjectis, nisi in plethoricis & quidem statim in principio morbi illam locum habere; In aliis vero v. g. in phlegmaticis & succulentis maxime hydropem, in ficcioribus autem magis hecticam inducere sæpius repetitam.

§. XII.

Quid tandem de hæmorrhagiis, quæ enormes fuerant & diu duraverant, cohibitis itemque suppressis (1) per adstringentia fortiora & positive talia sit judicandum, ex sequentibus patebit. Noto notius est, adstringentia alias optima esse medicamenta, verum eorum usus semper sit circumspectus necesse est, in iis etiam morbis, ubi prompta & celeri opus est cohibitione, dum nullo alio modo, nisi adstringendo medelam inferunt, hinc eorum usum maxime cautum atque moderatissimum suademus. Id quod etiam magni nominis & felicissimi Practici, inter quos non postremus est CEL. JUNCKERUS, qui *Tab. de hydrope univers.* abusum adstringentium turgente eodem tempore sanguine e. g. in febribus & hæmorrhagiis inter causas hydropis procatarcticas recenset. In parva enim si propinantur dosi, fluxum

non ſedant, quin potius augent; in majori vero quantitate ſi præſcribuntur, præter alia ſontica mala quandoque & hydropem ipſum parere ſolent. Verbo in omnibus hæmorrhagiis ab incondito adſtringentium uſu cavendum ſibi eſt ſedulo. (2) per topica ſeu frigida externe applicita, indeque perturbatam hæmorrhagiam idem affectus nonnunquam excitatur, uti PELARG. *Colleg. Pract. Sect. 1. Membr. 2.* §. 7. de puero quodam hæmorrhagia narium correpto ſcribit: Anno 1712. ohngefehr ward ich zu einem aus der Naſe blutenden Knaben von ſenſibler Conſtitution geruffen/ derſelbe hatte ſchon unter allerhand Hauß-Mittel etliche Stunden geblutet; und weil die Natur durch kaltes Waſſer/ Eßig/ Binden und dieſes alles uno impetu appliciret/ confus gemachet worden/ ſo war die Hæmorrhagie nicht zu ſtillen/ biß faſt alles Geblüt fortgefloſſen. Der Knabe verfiele darüber in die Waſſerſucht und ſtarb nach 6. biß. 7. Wochen. Ex quibus allatis ſatis ſuperque conſtare arbitror, quod non ſemper in ejuſmodi excretionibus, etiamſi majori in quantitate prorumpant, ad topica ſeu frigida externa ſit confugiendum, ſed potius naturæ ad tempus quoddam cedendum, donec iſtius quantitas nimia ſuſpecta nobis videatur. Nam ſi a plethora, nulla diæta compeſcibili, natales ejuſmodi hæmorrhagia ducit, natura ipſa terminos non facile transgreditur. Quapropter hæmorrhagia quodammodo excedens & non prodiga præ aliis critica per modo memorata topica nunquam ſiſtenda, quoniam ſuppreſſionem arte ſuſceptam incommoda ab iſta, quæ ſibi relicta eſt, non adeo metuenda, inſequuntur periculoſiſſima, conf PELARG. l. c.

§. XIII.

Secundus morbus, è quo hydropiſia pronaſci ſolet, febris eſt, morbus iſte univerſaliſſimus & communiſſimus, qui vel ſolus affligit, vel cum aliis affectibus complicatus eſt, unde mater morborum & nutricula Medicorum appellatur, qua de cauſa etiam tritum illud ortum eſt: Vis ſine febre

mori?

mori? Eſt autem febris inordinatus M. S. motus à fermento peregrino ortus, quod in ventriculo & primis viis hæret, ſanguinemque exagitat, donec beneficio naturæ vel diſcutiatur, vel inſenſile reddatur, unde plerique Autores de fermentatione, effervescentia & ebullitione multa verba faciunt, ſed plerique nihil dicunt de peculiari intentione, à qua motus excitantur, eſtque illa nulla alia, quam ut recrementa in M. S. nimia in copia accumulata beneficio horum motuum è corpore eliminentur, quo ſenſu SYDENHAM febrem ſalutarem naturæ conatum appellitavit. Verumenimvero ſi naturæ vires adeo debilitatæ fuerint, ut munus ſuum in noxiis humoribus expellendis haud rite peragant, tunc à materia peccante ſuperflua, magis ſi ars hunc defectum non ſupplet, atque medicamentis illam non ſatis evacuat, viſcerum & vaſorum obſtructiones ſeroſique ſanguinis abundantia inde oritur, unde hydropi viam ſternit, ceu pluribus HORST. *Obſ. Sing.* 28. *L.* 4. demonſtravit. Non parum incrementi hydropi contingit, quando febris, in qua ardor & dolor in dextro hypochondrio eſt, anteceſſerit, qui, uti nobiscum THONERUS *L.* 1. *de Febr. intermitt. Obſ.* 5. conſentit, ex ebullitione humoris bilioſi in venis meſaraicis haud procul ab hepate diſtantibus originem ducit, quo ſitis immenſa excitatur, quam nimia etiam frigidi potus ingurgitatio & ex hac abundantia ſeri ſequitur, qua vaſcula lymphatica adeo diſtenduntur, ut quandoque ipſorum ruptura & hinc inde lymphæ profuſio in abdominis cavitatem, quam tandem hydrops preſſo pede ſequitur, accidat.

§. XIV.

Sic & ſecundum HOECHSTETT. *Dec.* III. *Caſ.* I. eidem affectui nutrimentum præbent febres intermittentes, inter quas primum locum obtinet tertiana legitima in hydropem mutata, quem ſequenti modo ſibi vindicat: ſcilicet ſanguis crebris iſtis fermentationibus, quas peperit morbi diuturnitas, præcipue in natu grandioribus, ſpirituoſis partibus de

pauperatur, unde summa jam eorundem laborans inopia succos cum alimentis ingestos non amplius valet assimilare quorum cruda adhuc indigestaque moles in crura tandem deponitur eaque intumescere facit, quibus distentis neque ulterius quicquam admittentibus alias etiam partes, imo & ventrem ipsum occupat, unde verus hydrops formatur, præprimis si febris cum obstructione viscerum conjuncta deprehenditur vid. Horst. *Lib.* 1. *Obs.* 14. & Forest. *L.* 3. *Obs.* 36. Neque silentio prætereundum est & febrem quotidianam, uti Riedlin. *Cur. Med. Cent.* 6. & 7. testatur, quandoque hydropem pro comite habere, quæ valde diuturna & Clinicorum Practicorum observatione cæteris febribus deterior habetur, quoniam in ista & hepar & splen & ventriculus laborant. Si febrim tertianam porro consideramus, nullum est dubium, quin & hæc hydropem nonnunquam proferat, imprimis si ex aquæ frigidæ potu oborta est, aut magna potus copia in paroxysmo assumta nec diaphoresi nec diuresi debita iterum eliminatur. Corpori enim vel ex febre, vel ex motu prægresso æstuante omnis potus frigidus noxam infert, dum humorum coagulationes, solidorum obstructiones & ex hisce venientem hydropem generat, quod ipsum *E. N. C.* I. 6. *Obs.* 52. nobis pluribus tradunt. Quid multa dicam de eadem febre, si quandoque hepatis obstructionem conjunctam habet, quo in casu dirus hic affectus frequentius insequitur. Hoc enim viscus, quod à multis & quidem non sine ratione pro hydropis foco habetur, utpote vasculis lymphaticis instructum plurimis, si forte infarctus patitur, huic malo inducendo præ aliis aptum natum est, vid. Fel. Plat. *Obs. L.* 3.

§. XV.

Hujus farinæ quoque sunt febres corruptæ, quæ, si à stato suo atque ordinato successu & progressu vel ad insolitas & irregulares commotiones impelluntur, vel penitus supprimuntur, non solum in schemata alia morbida transeunt,

eunt, sed revera tam materialiter, quam formaliter, uti scholæ loquuntur, non in alios solum, verum etiam in deteriores morbos converti solent. Sic v. g. si quis laboret febre intermittente, quæ tempus curæ ejusmodi febrium destinatum transgreditur, hinc auxilium alius, qui vel ipse rei Medicæ gnarus non est, adeoque malum regimen instituit, implorat, vel in agyrtæ cujusdam medicatione spem suam collocat, qua in varia morborum genera præcipitatur, nonne miser ille exemplo suo comprobabit, ex tali perversa directione febrem alias regularem in corruptam mutatam, vel penitus suppressam experietur? Probe itaque attendendum est, ne febris legitima è perversa methodo in corruptam, hecticam, aut hydropem ipsum deducatur, vid. *Act. Berol. Dec.* 1. *Vol.* 2. *&* 6. & CELEB. STAHL. *de Febr. interm. turbat. ac corrupt.* Febrium corruptarum classi & quartanam adscribi posse censeo, quippe cujus fomes ex materia viscida, tenaci, plerumque in visceribus hypochondriacis cum vena portæ connexionem habentibus v. g hepate, liene & glandulis mesaraicis, rarius in primis viis hærente non male deducitur, id quod nexus reciprocus, quem hæc febris cum ictero, cachexia, tumoribus œdematosis & ascitis fovet, satis superque confirmat; modo enim quartana legitime superata prægressos hypochondriacos affectus solvit, incongrue vero suppressæ vel corruptæ scirrhositas hepatis lienis, glandularum mesaraicarum &c. œdema, hydrops, hectica, asthma & tussis sicca, icterus præcipue niger succedunt. Quoniam ergo dicta materia ob insignem lentorem, uti par est, medicamentis etiam appropriatis evacuari nequit, facile eam recensiti morbi frequentius hydrops juxta THONERUM, *L.* 1. *de Febr. interm. Obs.* 9. excipiunt, præsertim cum ventriculi coctio impediatur, locoque chyli laudabilis pituita viscida ac variæ cruditates in M. S. deriventur, quæ in angustiis pororum & glandularum hærentes in causa sunt, ut neque secretiones, neque excretiones in hoc febris genere

re

re æque ac in aliis rite ſuccedant, uti PECHLINUS *L.* 2. *Obſ.* 21. LANGIUS *L.* 1. *Epiſt.* 48. FORESTUS *L.* 19. *Obſ.* 29. pluribus nobis inculcant.

§. XVI.

Non autem tam ex ipſa febrium natura, quam potius mala earundem curatione dirus hic affectus plerumque fluere ſolet, ſi nempe materia peccante non ſatis evacuata febris ſiſtitur atque cohibetur, quo plerumque pedum tumor primum, poſt aſciticus cum aliis periculoſis effectibus excitatur. Corrumpitur vero febris præter malam ægri diætam perverſumque regimen adſtringentibus, quæ ſi nimis cito & intempeſtive adhibentur, non ſolum motus naturæ ſpontaneos, uti vomitus, ſudores aliosque conatus laudabiles, per quos materiam peccantem removere intendit, ſupprimunt, verum etiam colatoriorum conſtrictionem inferunt, qua debitæ ſecretiones ſufflaminantur, ſanguinis & ſeri circulatio turbatur, atque tandem vaſorum teneriorum ruptura, & per conſequens hydrops ſupervenit. Quanta ex hiſce per adſtringentia cohibitis conatibus mala exſurgere ſoleant è CELEB. STAHLII *diſſ. de Febr. interm. turbat. & corrupt. ſupra cit.* fuſius colligendum eſt. Inter adſtringentia præ aliis allegari meretur Cortex Peruvianus, à cujus ſtrenuo uſu hydropes quotidie oriri obſervamus, cumprimis in ſubjectis phlegmaticis, quæ præ aliis ad ejuſmodi malum proclivia ſunt; facta enim dicto cortice, uti in aliis partibus, ita & potiſſimum in hepate conſtrictione ſanguis ſpiſſus atque pituitoſus per minima ejus vaſcula rite circulare nequit, hinc ſtagnans infarctum atque obſtructionem ſenſim generat; magis ſi præmature exhibeatur, corpore antea ab impuritatibus non ſufficienter liberato, facile jam recenſita mala ſupervenire queunt. Equidem nos non latet, dari plurimos, qui hujus corticis uſum magnis laudibus extollunt, neque ſine ratione, illum enim debito morbi tempore adhi-

adhibitum, subjecto & temperamento, morbis prægressis aliisque circumstantiis probe consideratis excellens remedium esse nemo facile inficiabitur, quod omnes, qui de eo aliqua reliquerunt, uno ore testantur, vid. MORTONUM *Pyretol.* VALENTINUM *de polychr. exot.* BARTHOL. *Hist. Anat.* 50. *Cent.* 5. BLEGNY *Zodiac. Med. Gall.* 1682. *Febr. Obs.* 29. 1683. *Jul. C.* 6. & BOLLI *Epist. Italico Idiomate de hoc vegetabili scriptam.* Vis enim agendi hujus corticis consistit tum in constrictione solidorum, tum in condensatione humorum, dum secundum HARVEUM *de vanitat. Med. C.* 28. fermentationes & leviores ebullitiones in febribus intermittentibus supprimit & particulas mucosas tartareasque ceu viscosas intermedias humorum in vasis mesaraicis & circa viscera amaritudine sua adstringente arcte compingit. Cæterum experientia firmatum est, corticem Chinæ specifica virtute febrifuga gaudere, quibus autem viribus vim hancce febrifugam exerceat, de eo non eadem est autorum commentatorumque opinio, vid. CEL. FRID. HOFMANNI *Diss. de Chin. Chin. modo oper. usu & abusu.* Quod vero ad rectum illius in febribus usum pertinet ex sequentibus patebit. Nemo non novit, quam diversis, imo perversis judiciis efficacissima alias ac heroica remedia, quinimo illa, de quorum usu multis abhinc annis tanto certiores facti sumus, quanto meliorem illorum effectum semper annotavimus, sunt exposita, dum ab his laudantur, ab aliis vero culpantur. Quod fatum quoque cortex peruvianus expertus est, qui certe efficacissimum & tutissimum est remedium, si recte illo utamur, valde autem noxium & insecurum, quando empirice, h. e. imprudenter & imperite, nulla corporis ægrotantis, causæ febrilis, temporis aliarumque circumstantiarum ratione habita usurpatur, vid. supra laudatum FRID. HOFFMANNUM *Diss. de rect. cort. Chin. usu in febr.* Rationem quod attinet, qua optime per Chinam Chinæ febris curatur, consistit ea in amaritudine. Nam cum omnia amara ventriculo, nervis ac spiritibus animali-

bus

bus admodum grata usu multo comprobentur; sequitur, quod & cortex peruvianus ob excellentem suam amaritiem vi febrifuga, imprimis in intermittentibus verno & æstivo tempore grassantibus, præditus sit, conf. MORTON. *Pyretol. C. 6. & 7.* PELARG. *Coll. Pract. S. 1. Membr. 7. §. 18.* Sed quidquid sit, cura ejus est & erit infida atque in quibusdam subjectis periculosa, siquidem non recidivas modo longe graviores, verum & novos prorsus & insanabiles morbos usum dicti corticis peruviani insequi, cachexiam scilicet, tumores pedum œdematosos, hydropem, ventriculi debilitatem, pathemata hypochondriaca, febres lentas & hecticas toto die observamus &c. Quare etiam ETTMÜLL. *Oper. Tom. II. p. 277. illum non solum infidum vocat remedium, sed & p. 598. asserit, ejus usum ordinarie fere alvi præclusionem, tumorem & duritiem abdominis ac dolores tensivos consequi solere.* Et AUG. QUIR. RIVINUS *Prof. pariter Lipsiensis diss. de Febr. interm. Medicos quosdam,* ait, *sibi gratulari quando ægrotantes è Charybdi in Scyllam deduxerunt, i. e. Febrem hoc remedio feliciter profligarunt, ægro interim vel contabescente, vel intumescente ab humoribus pravis atque hydrope.* Non minus per Chinam Chinæ febres corruptas oriri sæpius videmus, vid. STAHL. *diss. de Febr. interm. corrupt. & turbat.* ACT. BEROL. *Dec. I. Vol. 2.* § 1. Bresl. Natur Gesch *Tent. 18. & 19.* conf. BERNH. RAMAZZINI *diss. Epistol. de abusu Chinæ Chinæ* quæ, quia hoc argumentum solide pertractat, legi utique meretur.

§. XVII.

Quemadmodum itaque è perverso febrium regimine plurima mala deploranda in genere profluunt, ita etiam cortice peruviano ἀμεθόδως & indiscriminatim adhibito metastases difficulter solubiles ad viscera fieri cernimus. Ubi enim per varias tumultuarias curationum tentationes non solum, verum etiam per absurda ægrotantibus sensibilioribus in paroxysmis concessa regimina, aut assumta nocentia febres intermittentes longius non saltem protrahuntur, sed interea

ea

ea per varios typos pervertuntur, viſcera demum abhinc & inde diſpulſa & compulſa materia obſidentur (quod ex hypochondriorum tenſione & duritie, laſſitudine artuum, reſpiratione oppreſſa, lurido faciei colore, interno depaſcente æſtu, ſiccitate oris, appetitu vacillante & œdematoſis pedum tumoribus colligi poteſt) tunc certe dubiam alit ſpem Medicus de recuperanda ægroti valetudine vid. Act. Berol. *Dec.* 1. *Vol.* 2. §. 1. Non autem in omnibus ſubjectis illud æque evenit, ſed quam maxime in pituitoſis & phlegmaticis & phlegmatico-ſanguineis, ad tumores ſeroſos pronis, & in iis, quæ debilioris ſunt conſtitutionis, in ſexu ſequiore atque in quibus naturæ robur à morbis prægreſſis aliisque cauſis dejectum eſt, habitus ſpongioſi, laxioris & turgidi, vitæ otioſæ dediti, item in cachecticis, in quibus facile perverſa ejuſmodi curatione, nempe applicatione remediorum adſtringentium obſtructio glandularum & vaſorum lymphaticorum, itemque ſanguiferorum minorum conciliari poteſt, præprimis quando jam ad cachexiam proclives ſunt, quæ omnino à mucido-ſeroſa lymphæ inviſcatione & motus tonici remiſſione originem ducit, huic incongrua medicamentorum applicatio accedit & reliquis corporis viſceribus malum communicatur. Quæcunque itaque cachexiam inducunt, tandem etiam hydropem inferunt, hinc facile conſtat, quanta prudentia opus ſit in regimine iſtorum morborum, qui corpus cachecticum reddunt. Enimvero cachexia laborantes, teſte quotidiana in Praxi experientia in proxima diſpoſitione ad hydropem poſiti ſunt & denique in ſtatum aſciticum devolvuntur, in iis vero ſubjectis, quæ ſiccioris ſunt habitus, eadem non æque contingunt, utpote in quibus hecticæ magis febres & lentæ ſuccedere ſolent, conf. Uratislav. *1699. p.* 110.

§. XVIII.

Cachexiæ ſpeciebus non immerito annumerantur excretiones quædam, vel ad externum corporis habitum, vel

ad alia loca excretoria factæ, quæ, si citius quam par est, aut minus conveniente methodo supprimuntur, affectus nostri causa quandoque existunt. Sic v. g. diarrhoea, præsertim serosa & critica, quæ è salutari naturæ intentione serum, vel etiam alios humores superfluos & corpori noxam illaturos per ejusmodi evacuationem removere intendit, si mala & intempestiva medicatione cohibetur, viis hisce occlusis, pedes œdematosos & tandem colluviem serosam inde pronasci observamus, ceu videre est apud WELSCHIUM *Dec.* 7. *Cur.* 4. Non minus idem malum profert scabies retropulsa, quæ alias tanquam naturæ conamen humores nocivos ad corporis superficiem pellit, verum si imprudenter tractatur & remediis incongruis externe applicitis repellitur, infausta symptomata inducit, nempe dyspnœam gravem & contumacem, quæ facile in ascitem degenerat, vid. BAGLIV. *Prax. Med. l.* 2. §. 9. & quidem ea ex ratione, quoniam ejus causa in stasi humorum lymphaticoserosorum in corruptionem abeuntium consistit, quæ stasis, si incongrue compescitur, in dirum & deplorandum nostrum affectum ægros præcipitare omnino valet. Non raro etiam in hydropem Icterus terminatur, quippe qui à vitiata bilis eccrisi provenit, unde autem hoc vitium oriatur, per individua non semper liquet. Negari quidem non potest, quod interdum obstructio ductus cholidochi hoc vitium inducat, frequentius tamen istud in constrictione & infarctu hepatis quærendum est, quæ strictura vel humoris biliosi sequestrationem, vel transitum illius ad vesiculam fellis & intestina intercipit. Pari modo ab ulceribus, quæ diu antea manarant, item fonticulis, qui à longo abhinc tempore fluxerant, subito & sine vicaria evacuatione substituta consolidatis, idem quandoque affectus insequitur. Eadem ratione de sudore è tota corporis superficie erumpente & male cohibito, imprimis nocturnæ circa æquinoctia aut critico in febribus salutari naturæ consilio contingente, aut in

iis,

iis, qui huic excretioni univerſali à longo tempore aſſueti fuerunt, idem malum haud raro oritur, recrementa quippe ſalino - ſulphurea & aquoſa in corpore detenta ad viſcera interiora regurgitant atque multum accumulata exitum quærunt & non raro in abdominis cavitate inveniunt. Scorbuticos non meliora fata manent, nam quoties radices malum egit, & digeſtionem neceſſariam valde turbavit, toties tabes & hydrops creditorum inducunt concurſum brevi mora lethalem, potiſſimum ſi vel purgantibus fortioribus utuntur, aut calidiores cibos & potus ingurgitant. Huc quoque referendi ſunt aſthmatici, ſive aſthma à ſcorbuto vel alio affectu ſit, & ſic convulſivum aut humoroſum notetur, illud nihil frequentius excipit, quam cachexia, & ſuccedaneus hydrops aſcites. Quid tandem ſudor pedum retrocedens efficiat, experientia quotidiana ſatis ſuperque nos edocet. Qui ſudor, ſi per adſtringentia remedia, ſive externe, ſive interne applicita cohibetur, ſtricturam fibrarum producit, quæ, quando in externo corporis habitu contingit, tranſpirationem imminuit, vel plane ſupprimit. Quanta vero mala ex impedita tranſpiratione pullulent præter innumera Auctorum teſtimonia plurimi ægri ſuo cum damno toto die experiuntur. Quod modo de ſudore dictum, de urina pariter valere vel me tacente quivis facile intelligit, hanc enim natura vel arte ſuppreſſam & in M. S. relictam aliorſum delabi & abdominis cavum quandoque inundare. Tandem etiam, qui defluxionibus catarrhalibus in juventute ſæpius infeſtati fuerant, & hæ vel ſponte emanent, vel arte, ſed mala cohibentur, in provectiore ætate œdematoſi facile fiunt, inundatione abdominis poſtea ſubſequente.

§. XIX.

Jam de cauſis, quibus agentibus diluvium hoc microcoſmicum à morbis ſupra dictis oriatur, quædam ſubnectemus de quibus eo minus prolixi erimus, quo magis è dictis patet, plurimas earum hinc inde jam allegatas eſſe. Hy-

dropis itaque caufa antecedens eft mala hepatis conftitutio, nempe obftructio, infarctus, fcirrhus. Si nempe ejus vifcus fere totum vafculofum ob atoniam fanguine nimium infarcitur atque induratur, non modo biliofi humoris fecretio intercipitur, fed & fanguinis nec non lymphæ motus vitiatur, & quidem, fi hæmorrhagiæ enormes præcefferunt, uti aliorum, ita & hujus vifceris tonus ac robur valde debilitatur, unde fit, ut humores in illud, ubi minorem renifum inveniunt, facilius irruant & ob defectum elafticitatis, qua promoveri ulterius debent, ibidem congerantur atque magis magisque ftagnent. Quod fi vero febrium cura adftringentibus fufcepta fuit, idem evenire verofimile eft, fed contraria ratione, tunc enim nimiæ vaforum & partium ftricturæ humores non libere transmittunt, unde pariter ftagnatio atque obftructio non poteft non contingere eo facilius, quo major à nativitate eft vaforum fanguiferorum anguftia. In utroque cafu fanguis ad vafa & vifcera vicina regurgitans in ventriculum per vafa brevia effunditur, unde vomitiones cruentæ, ex difruptis uterinis vafis menfes copiofi & uteri hæmorrhagiæ, ex venis ani nimium apertis enorme hæmorrhoidum profluvium, & in renibus mictio cruenta exoritur. Lymphæ vero itinere per vafa lymphatica, quæ his in vifceribus difcurrunt copiofiffima, intercepto humor ifte lentorem contrahit, tarde movetur, reftagnat & copiofius in vafis abdominis collectus hydatides format, quibus maxime fi à prima formatione teneriora fuerint, tandem difruptis, feralis lymphæ extravafatio & partium corruptio inducitur. Hinc attenta obfervatione patefcit & cachexiam & fcorbutum & ipfum hydropem plerumque ex hepatis obftructione & infarctu primordia capere, vid. PLATER. *Obf. L. 3.* GABELCHOV. *Cent. 6. Cur. 91.* PISON. *Morb. à ferof. Colluv. S. 4. C. 4.* Quod affertum noftrum autopfia Anatomica tantum non in omnibus cadaveribus confirmat, nempe hydrope defunctis hepar infarctum, du-

durum, ſcirrhoſum & coloris plerumque pallidioris aut variegati, quandoque abſceſſibus obſeſſum, aut hydatidibus repletum eſſe, conf. ACT. HAFN. *Vol.* 5. *Obſ.* 33. RUYSCH. *Obſ. Anat. Chir.* 45. 86. *&* 87. Cujus rei hiſtorias cum ubique in *Actis & Ephemeridibus Medicis* annotatæ legantur plures cumulare nolumus. Interim vero BARTHOLINUS *Hiſt. Anat.* 2. *Cent.* 5. *omnem hydropem hepatis labe initi ſcribit, quod viſcus* RUYSCH. *Obſ.* 65. *Theſ. Anat.* I. *p.* 84. *ſeq.* II. *p.* 47. VI. *p.* 10. VIII. *p.* 12. IX. *p.* 6. *ſæpiſſime in hydatides degeneratum annotavit & ab earum congerie hydropem deducit*, *Obſ. Anat. Chir.* 27. *&* 46. quæ ſi rumpuntur, aut fiſſuram hepatis, aut ipſum hydropem inducunt. Idem quoque intelligendum eſt de meſenterio, dum nimirum ejus glandulæ in hydatides pariter abeunt, vid. TULPIUM *L.* IV. *Obſ.* 44. quarum auxilio aquæ intercutes quandoque generantur. Ex hiſce igitur facile colligendum, hepatis malam conſtitutionem reliquis abdominis viſceribus corruptionem conciliare poſſe, verum notandum, quod hæc quandoque potius effectus morbi, quam cauſa eſſe ſoleat. Lympha enim ex hepate reliquisque dictis viſceribus profluen & acrior reddita partibus ipſi innatantibus corruptionis & putrefactionis cauſam præbet, vid. PLATERUS *Obſ. L.* 3. BLANCKARDUS *Anat. Pract. Cent.* I. *Obſ.* 24. *&* *Cent.* 2. *Obſ.* 19. BONETUS *Sepulchr. Anat. L.* 3. *S.* 20. *Obſ.* 2.

§. XX.

Jecur potiſſimum affectum eſſe ſymptomata quoque in hoc malo occurrentia confirmant, nempe dolor tenſivus, & gravativus hypochondrii dextri cum duritie conjunctus, quæ obſtructioni & ſcirrhoſitati hepatis ex cachectico ſtatu natales ſuos debet, unde non ſolum tuſſis ſicca & hypochondriaca, ſed & aſpectus corporis luridus & cachecticus oriuntur, qui aſpectus à mala chylificatione & ſimili ſanguinis conſtitutione dependet, dum nimirum ille ſeroſior minusque

que

que ſpirituoſus evadit, unde non niſi ſeroſas demittit partes, quæ dictum colorem inducunt. Haud parum quoque diſcruciantur ægri dyſpnoea, quæ omni fere hydropis ſpeciei familiaris, graviſſima tamen aſciti eſt, cum hepatis infarctu conjuncto, quia præter quod aquarum moles diaphragma ſurſum detinet, jecur ejus motui liberiori obſtat, quæ reſpirandi difficultas ideo etiam a corporis motu augetur. Urina ad menſuram eorum, quæ aſſumuntur ex liquidis pauca, craſſa & in aſciticis præcipue cum copioſo ſubinde ſedimento rubro lateritio emittitur, quibusdam tenuis effluit, alba & cruda inſtar aquæ. Viſa quandoque crocea, quæ cum adſit, hydropis ſtatum deſperatum pronuntiant Autores, imprimis ſi febricula continua concurrit. Aqueus color, quocunque alio durante tumore, ſemper optimus habetur. Verum ſi urina lixivioſa eſt & ſedimentum roſeum exhibet, viſcerum labem indicat.

XX.

Quæ, dum dicimus, non id volumus, ac ſi hepar ſolum & ſemper, utut præ aliis frequentius affectum ſit, ſæpius enim contingit, ut illud, ceu ex obſervationibus liquet, nonnunquam bene conſtitutum in hoc morbo annotatum fuerit, ſi nempe tantum vaſcula quædam lymphatica diſrupta ſunt, vel ſi hydatides multæ in abdominis cavitate reperiuntur. Liceat hic allegare verba THEOD. KERKRINGII *Anthropog. Ichnogr. C. 1. Audisne ex hydatidibus fieri hydropem, & tunc fieri, quando rumpuntur.* Verum rarius ne dicam rariſſime accidit, ut vel hoc, vel reliqua viſcera illæſa maneant atque integra vid. GOKEL. *Cent. 2. Conſ.* 41. RHODIUS *Obſ.* 4. *Cent.* 3. ARETAEUS *L.* 2. *C.* 1. *de ſign. & cauſ. morb. diut.* BONET. *Sepulchr. Anat. L.* 3. *S.* 20. *Obſ.* 16. & 12. Ubicunque enim glandulæ, vel vaſa lymphatica ſunt in abdomine, ibi aſcitis invenimus cauſam effectricem. Ergo non tantum in hepate, ſed & in liene, renibus, glandulis meſenterii, omento, pancreate &c. ſedes erit cauſæ hujus

jus morbi proximæ. Sic malum noſtrum lien ex hepatis intumeſcentia ipſi ſimul tumorem excitante inducit vid. PISON. *l. c.* PEYER. *Parerg. Anat. & Med. 5. in Act. Lipſ.* 1682. BONET. *l. c. Obſ.* 6. & 7. BLEGNY *Zodiac. Med. Gall.* 1682. *Menſ. Mart. Obſ.* 7. vel quando ipſe apoſtemate quodam affectus eſt *E N. C.* III. 5. & 6. *Obſ.* 279. PLATER. *Obſ. L.* 3. tunc utique hydropem interdum proferre ſolet. Quem effectum quandoque etiam à renum vitio obſervamus, ſi nempe ob conſtitutionem p. n. ſeroſum humorem minus ſufficienter ſecernere & excernere valent, quo fit, ut ſerum per arterias emulgentes continuo cum ſanguine ad eos delatum nulla ſecretione facta per venas refluat, in M. S. coacervetur, & quandoque extraordinario modo in abdominis cavitatem effundatur. Idem malum produci ſolet à glandulis meſenterii obſtructis & induratis, quo facto illæ lympham non transmittunt, nec in & per debitos canales reducunt, quare vaſa lymphatica à noviter ſuccedente infarciuntur & tandem rumpuntur. Eadem fere ratione deplorandus hic morbus adſcribi poteſt omento male conſtituto, cujus vero ſtatus p n. rectius effectus quam cauſa hujus mali dicendus eſſe videtur, ſi nempe membrana hæc expanſa aquis à ſtagnatione acrioribus redditis & corruptis diu innatarit. Succedit quoque hydropiſia indurationi pancreatis, quæ humoribus lentis & viſcidis in minimis ejus acinis glanduloſis ſtagnantibus debetur, & pariter dirum hunc affectum nunc præcedit, nunc etiam ſequitur. Quibus rite penſitatis non male pronuntiatur: Nullum fere hydropem eſſe ſine viſceris alicujus obduratione. Quare etiam CELSUS *L. 3. c. 21.* jamdudum contendit, *non hujus viſceris unius hoc vitium eſſe hydropem. Nam & ſplene adfecto & in totius corporis malo habitu illum fieri.*

§. XXI.

Sic & ventriculi affectus hydropiſia ſæpiſſime excipit, præprimis ſi appetitus dejectio vel præcedit vel concurrit.

 De-

Deficit autem appetitus modo ob lymphæ gaſtricæ vitia aut defectum, modo ob ventriculi atoniam, quæ quandoque etiam hydropis cauſa evadit, potiſſimum ſi cibus & potus, qualitate & quantitate peccans, nempe ſpiritus ardentes cibique craſſi & dyſpepti ingurgitantur, quia chylus pariter craſſus, viſcidus alioque modo vitiatus præparatur & lympha quoque lenta inde generatur. Qualis enim chylus, talis ſanguis & alii humores inde ſeparati, & per conſequens etiam lympha. Ex quibus facile colligitur, hydropem quoque venire à chylificatione & ſanguificatione læſa, ſi quando chyli laudabilis loco ſeroſus & viſcidus ad M. S. defertur eique hanc labem affricat, uti viciſſim lympha in ventris cavum effuſa adeoque chylo in ductu thoracico non affuſa, utraque hæc actio non æque feliciter peragitur. Quibus tandem adjungimus vel veſicæ urinariæ, vel etiam ureterum à liquore nimium accumulato tandem facta ruptura utut rariore, qua poſita lotium non poteſt non abdominis cavitatem inundare. Nam & hoc tenendum eſt, tam lympham laudabilem, quam etiam ſerum excrementitium in hoc morbi genere loco peccare.

§. XXII.

Ex iis, quæ ſupra à nobis dicta ſunt ſatis liquere autumo, & partes ſolidas, ſeu varia organa (maxime iſta, quorum munus eſt humidum ſuperfluum à M. S. ſequeſtrare) æque ac fluidas ad durum affectum noſtrum, quotidiana experientia teſte, diſponere. De hiſce paucis addere liceat, quod lympha poſtquam lentorem contraxit, ad quem natura ſua valde proclivis eſt, frequentiſſima hujus mali cauſa exiſtat. Hæc enim vitio laborans circulum ſuum debito modo non peragit in vaſis, quæ nomen ab ea acceperunt, accumulatur & aliquatenus ſtagnat, qua ſtagnatione invaleſcente nunc apertis oſculis per ἀναϛόμωσιν ſed rarius exit, nunc per διαπήδησιν per poros parietum tenuiorum ſenſim tranſudat, nunc vero acrior reddita atque vaſa corrodens

dens vel ob infarctum rumpens per διαίρεσιν confertim effluit, & per consequens inevitabilem in cavitate aliqua collectionem inducit. Quod vero frequentior talis in abdominis cavo extravasatio fiat, rationes fere sequentes in causa sunt (1) in ventre infimo vasa lymphatica magis quam in alio luxuriant (2) motus diaphragmatis & musculorum abdominis reciprocus & contentis impressus vasa lymphatica continuo comprimit atque liquorem ibi contentum, qui viscidus est, in arctum cogit (3) ob pinguedinem in hoc ventre copiosam motus lymphæ paulo tardior, quam alibi esse solet, præprimis quia (4) notabilis ejus portio ab extremitatibus inferioribus refluit, adeoque majore cum difficultate movetur, præprimis si illæ, uti plerumque fit, tumore œdematoso obsessæ simul sunt.

§. XXIII.

Quibus annotatis pauca quædam, quæ ad scopum nostrum faciunt, de prognosi affectus, de quo agimus, dicemus. Est itaque hydrops morbus periculosus & periculosissimus, uti HIPPOCRATES *de intern. Affect.* I. 27. docet, & si in omni illius specie prognosis à consideratione causarum & remotæ & proximæ, itemque constitutione viscerum abdominis, tempore durationis aliarumque circumstantiarum conditione desumenda, de nostro affectu non adeo fausta esse potest. Aliis enim morbis qui successit, difficulter aut nunquam curabilis est, & quo graviores illi fuere, eo frequentius lethalis evadit, potissimum si infarctum & scirrhos viscerum v. g. hepatis, lienis, mesenterii & pancreatis insequitur, vel si cum cachexia corruptum humorum statum indicante complicatur, vel si hectica constitutio concurrit. Quo magis igitur cum aliis morbis affectus noster complicatus est, eo minus eum felicis præsagii esse puto. Enimvero organorum depravationem in integrum restituere negotium est difficultatis plenissimum, & si eventum consideres, plerumque illum infelicem videbis, præpri-

 mis

mis si à κακοσπλαγχνία est, nunquam faustus & lætus erit; pariter febris continua & lenta, infarctum viscerum necessario insequens, & pulsus durus, frequens, celer, & serratus nihil boni portendunt. Porro in angusto spes est, si tussis sicca, juxta HIPPOCRATEM *S.* VI. *aph.* 35. *&* VII. *aph.* 47. semper periculosa, respirandi difficultas indeque suffocationis periculum, tumor & dolor hypochondrii ipsi superveniunt. Idem periculum minatur, si originem à nimiis hæmorrhagiis duxit, quia corpus inde debilitatur, sanguis vapidus fit & spiritibus depauperatur, vasa & reliquæ partes solidæ atonia laborant. Et si levior etiam affectus in corpore à prægressis morbis debilitato majoris considerationis est, periculum nostri non obscure patet. HIPPOCR. prognost. l. 7. Mali etiam ominis pronuntiatur eventus, qui à suppressis evacuationibus & retropulsis excretionibus est, quia quo magis illæ assuetæ sunt & in morbis supprimuntur, eo deteriores effectus proferunt, ast restitutis hisce spem curationis haurire possumus, plerumque vero in delicatioribus subjectis labem in viscere quodam relinquunt. Miserum imo incurabilem statum inducit hydrops è vasorum lymphaticorum ruptura ortus, quia nulla spes illa rursus coalescere superest. Et quæ sunt alia periculum hujus mali præsagientia. Interim notandum, quod non semper eventus sit infelicis noster morbus, uti ex plurimis constat observationibus. Sic si hydrops ætati vegetæ, & subjecto robusto contigerit, sique porro non inveteratus, sed recens est, & ubi appetitus nondum dejectus, ac denique ubi εὐσπλαγχνία præsto est, curatio speranda. Unde HIPPOCRATES *Prænot. Coac. Text.* 275. eos, qui in hydrope servari volunt εὐσπλάγχνους esse debere affirmat. Hinc si ab humorem vitio magis, quam partium solidarum seu organorum est, facilius restituitur ægrotus, verum & hæc restitutio res est laboriosa, difficultatum plena & quæ multum temporis requirit. Insuper etiam curam admittit interdum hydropisia fe-

febres male curatas excipiens, præſertim in robuſtis & regeta ætate conſtitutis. Ex quartana vero febre profluens, gravior & ſæpius lethalis eſt, niſi febris revocetur. Urina ſi fluit, morbo nondum confirmato, ægrum inde levatum obſervarunt, verum ſi nimis copioſa effluit & viribus jam ſolutis contingit, hæc excretio mortis nuntia eſſe ſolet. Quod idem evenit, ſi urina flammea, lixivioſa, turbida, & ſpiſſa eſt, quoniam viſcerum infarctum indicat, & quo magis à ſtatu naturali illa recedit, eo minor eluctandi ſpes ſupereſt.

§. XXIV.

Ultimo loco de cura noſtri affectus quædam ſubjungere inſtituti ratio poſtulat, in qua tractanda quidem non ita verſabimur, ut generalem exhibeamus, quin potius eandem ad varios, è quibus pronatus fuit, morbos reſtringamus. Indicationes alias à Rerum Practicarum Scriptoribus ſequentes inculcantur, ut (1) dyſcraſia humorum lenta & viſcida incidentibus, reſolventibus, attenuantibus & diluentibus corrigatur, non minus ejus acrimonia, ſi quæ concurrit, abſorbentibus temperetur (2) Cauſa continens ſeu extravaſatus humor atque præter ordinarias naturæ leges in cavitate ſtagnans per vias convenientes eliminetur laxantibus hydragogis, diaphoreticis ſed caute, atque diureticis, à quibus ultimis multum auxilii exſpectant. (3) Viſcerum infarctus, quantum in artis poteſtate eſt, aperientibus, hepaticis atque ſpleneticis tollatur, denique (4) tonus partium labefactatus tonicis, roborantibus, junctis ſalinis, ſtomachicis item & condimentis moderate acribus & aromaticis roboretur atque reſtituatur Quæ indicationes ad medicationem felicem inſtituendam ſollicite obſervandæ utique ſunt & optandum eſſet, ut ex voto & Medici & ægri frequentius adimpleri poſſent. Verum plures proh dolor! circumſtantias, quarum theſi antecedente mentionem injecimus

cimus, utriusque spem haud raro fallere experientia satis frequens testatur. Quæ indicationes utut bene se habeant, in præsenti negotio nostro morbos prægressos potissimum attendendos, curam eo quovis modo dirigendam, & hydropem pro indole eorum affectuum p. n. quibus successit, aut quibuscum complicatur tractandum esse censemus, juncta generali & ab omnibus tradita methodo. Morbo quippe primario juxta artis præcepta sanato, secundarius vel sponte cedit, vel appropriatis remediis facile profligatur. Duplex alias methodus præscribitur curatoria atque præservatoria. Per hanc hic non intelligimus eam, quæ à morbi recursu seu recidiva præservat, sed quæ præcavet, ne iste unquam eveniat. Valet namque hic illud: satius esse morbum futurum præcavere, quam præsentem curare velle. Id quod Medicus obtinebit, si vel hæmorrhagias, vel febres, vel excretiones earumque suppressiones prudente methodo tractet, atque omni ope eo annitatur, ne perversa cura adhibita, aut debito regimine neglecto gravis hic affectus iisdem superveniat. Quam ob causam omni modo sibi caveat, ne in universum hæmorrhagias etiam justo diutius & nimia in copia fluentes, maxime activas (quod de passivis non æque valet) adstringentibus positive talibus, iisque fortioribus cohibeat, orgasmum sanguinis, qui nunquam non præsto est, temperantibus, prætermissis aut non præmissis, evacuationem nimiam V. S. derivatoria, vel si opus est, revulsoria compescat, post moderata cohibentia & tonica refractis, sed repetitis dosibus adhibeat. Quod si vero ab enormi ejusmodi effluxu productum jam est malum, duo potissimum agenda esse judicio, nempe analepticis & nutrientibus sanguinis jacturam resarcire, spiritibusque depauperatum refocillare, dein vasorum collapsorum & atonia laborantium tonum martialibus, balsamico-tonicis aliisque appropriatis restituere. Quare indicatio vitalis hoc in casu quam maxime locum habet. Quibus ea, quæ in hydrope alias commendari solent jungenda & interpolanda maxime sunt. Ubi

vero

vero modo memoratarum evacuationum suppressiones in causa sunt, omni cura studendum, ut illæ convenientibus emediis revocentur atque in ordinem redigantur, quæ media pro fluxus indole atque differentia discrepant, quo obtento fonticum hoc malum averti, aut si illud jam affligit, hoc probe observato felicius profligari poterit. Nimirum ad mensium & lochiorum fluxum restituendum emenagoga, ad hæmorrhoides revocandas hirudines in usum vocandæ sunt. Si aliæ excretiones sponte cessarunt, aut retropulsæ sunt, & hæ restituantur, scilicet scabies atque sudor lenibus diaphoreticis aliisque humores ad cutim invitantibus, diarrhœa lenibus laxantibus, ulcera & fonticulos si ad fluxum revocare è re esse non videtur, vicariæ evacuationes pro re nata instituantur, id quod de omnibus aliis excretionibus antea assuetis, jam autem emanentibus valet, si nempe earum successus vel nimius est, vel incongruus, vel aliorum incommodorum causa, vel etiam arte obtineri nequit. Non minus idem præoccupat recta febres curandi methodus, qua materia febrilis rite præparanda & præparata sufficienter evacuanda est, ita metus nullus erit hydropem iis successurum esse. Quod si vero hoc neglectum & ad sistentia nimis cito properatum fuerit, atque tumor asciticus vel febri adhuc subsistenti accesserit, vel jam profligatæ supervenerit, laxantibus aliquoties præscriptis & assumtis febris revocanda, & si hæc redierit, circumspectiore modo curanda est. Id quod tempus non breve & patientiam tum Medici, tum ægroti postulat, minus tamen arduum est febrim quam hydropem debellare. Quæ evacuantia ex hydragogis composita & cum aperientibus atque incidentibus maritata in forma noduli aut vini medicati hunc in finem præscribantur. Lenia vero illa sint, ut cum epicrasi operentur, non fortiora, non drastica, à quibus levamen quandoque sentit æger, sed parum durabile, uti WILLISIVS *Tr. de hydrop.* monet, & judicio TRALLIANI *Med. Libr. 9. C. 2.* satius est paulatim & tuto evacuare, quam festinando una cum morbo ægrum è medio tollere. Insuper experientia teste ab ejusmodi fortioribus assumtis & viscerum infarctus augetur, & asciticorum abdomen haud raro magis intumescit, siquidem una cum aliis humoribus serum vehementius ab iis commotum magis effluit, unde cataclysmus hic microcosmicus invalescit. Et si dicendum quod res est, parum sæpe solatii etiam à mitioribus expectandum, quod ipsum FRID. HOFFMANNVS *diss. de hydrop. Pericard* §. 22. docet. Interim tamen in malo nondum inveterato exoptatum edunt effectum, serum evacuant & per consequens abdominis tumorem imminuunt; quamvis conceptu difficile sit, qua ratione aquæ extra vasa & circulationis leges constitutæ, vel intra eadem reabsorberi, vel saltem ad intestina delabi possint, nisi per poros parietum eas transudare statuamus.

mus. Quo etiam facto non nisi tenuior portio transibit crassiore in abdominis cavitate relicta. Præ alio vero hydropis genere crucem medico figit ille, qui cum febre quartana complicatur, aut eidem supervenit, quod si enim alteruter horum affectuum solus & ab altero disjunctus scandalum est, alterum concomitans aut consequens duplex non inepte vocatur, & patientiam medici pariter ac ægri non parum fatigat. Quare digestiva & incidentia, nec non pilulæ balsamicæ diu continuandæ sunt, aliis quæ ad hunc scopum faciunt, non neglectis. Quod si vero è signis non incertis compertum fuerit, labem aut infarctum vel in hepate, vel in alio quodam viscere relictum affectus nostri causam esse, tunc aperientibus & resolventibus, junctis simul diureticis quam maxime insistendum, eum in finem, ut viæ obstructæ reserentur. Uti etiam si lentor & spissitudo humorum præprimis lymphæ, nec non cachexia universalis concurrit, incidentia, præparantia atque attenuantia, si etiam dyscrasia adest scorbutica, antiscorbutica iisdem debite maritanda sunt; quamdiu enim hæc vitia tum solidorum tum fluidorum non corriguntur, hydropem curare velle nihil aliud esset, quam æthiopem lavare. Hisce interpolanda sunt reiteratis vicibus per alvum evacuantia, ut id, quod resolutum est, è corpore ejiciatur; neque prætermittenda hic quoque sunt diuretica, in quibus unica fere spes collocatur, magis si suppressiones humorum serosorum malo occasionem præbuerunt aut illud fovent. Quibus illud quandoque curatur, si urinæ citrinæ sunt, quod si vero crassæ atque lixiviosæ fuerint, frustraneus utplurimum labor ab horum usu est. De vomitoriis, utpote quæ nonnisi in principio morbi & ubi vitiosa in primis viis saburra hæret, locum habent uti etiam de scarificationibus, crurum aut vesicatoriis, quæ adhibita gangrænam atque mortem accelerant, nihil addimus. Quid de V. S. nobis videatur, è §. 11. satis intelligitur. Parum quoque præsidii est in paracenthesi abdominis infido illo remedio, quia effectum morbi non vero causam tollit, & teste CELSO *L. 3. C. 21. emissus humor non sanat, sed tantum medicinæ locum facit.* In aliquibus sed paucis numero felici cum successu, in plerisque vero irrito conatu instituitur, ob rationem à NICOL. PECHLINO *L. 1. Obs. 62.* datam, quia in ultimam plerumque necessitatem rejicitur corrupto viscerum statu jam præsente. Neque paginarum angustia permittit, ut quippiam de diæta adjiciamus, nisi unicum hoc, ut æger parum bibat, sitimque, si quæ adest, quibusvis aliis mediis quam potu ingesto fallat. Quem in finem aliqui globulos plumbeos è gelida aqua modo desumtos in ore continuo detinent. Ut taceam, quosdam abstinentia ab omni potu sanatos ab hydrope legi vid. ZACVT. LVSIT. *Prax. admir. L. 2. Obs. 60.* BENNIVEN. *de appet. sanat. & morb. caus. C. 13.* Horum ut & aliorum remediorum prudente & subordinato, nec non diu continuato usu dirum hunc affectum aut præcaveri, aut si corpus jam occupaverit & penitus tolli nequeat, saltem ejus sævitiam leniri posse confidimus.

F I N I S.